

# **Urkundenbuch der Reichsabtei Hersfeld. Erster Band (Ed. Weirich) Nr. 100**

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Heinricus divina favente clementia Romanorum imperator augustus. Si deo dicatis locis aut possessa confirmamus aut nondum concessa contradimus, et ad imperii nostri statum et ad aeternum interminabile gaudium nobis profuturum fore confidimus. Quapropter omnium Christi nostrique fidelium tam futurorum quam presentium sollers industria noverit, qualiter nos pro amore divino et animae nostrae remedio tum ob interventum dilectae contectalis nostrae Agnetis imperatricis augustae et ob fidele et iuge meritum venerabilis dilectique Herveldensis abbatis Meginheri et pro redimenda corona ab Herveldensi aecclesia nostrae potestati recepta quaedam bona in Lizichesdorf in comitatu Macelini comitis sita et in pago Spiliberch dicto, quae Ekchihardus marchio haereditario parentum iure ab eadem aecclesia in beneficium obtinuit et longa oblivione neglegentiaque prefati loci rectorum sibi in proprium vendicavit eidemque aecclesiae abnegavit, praedictae aecclesiae in hononem beatorum apostolorum Simonis et Tathei et sancti Wigberti confessoris constructae in proprium reddidimus et concessimus ad stipendum fratrum in predicto loco deo famulantum cum omnibus suis appendiciis, hoc est utriusque sexus manicipiis areis aedificiis terris cultis et in cultis pratis pascuis aquis aquarumque decursibus molendinis piscationibus silvis venationibus exitibus et redditibus viis et inviis quaesitis et inquirendis cum omni utilitate, quae ullo modo inde poterit provenire, ea videlicet ratione, ut prenominatus reverendus abbas suique successores de prefato predio liberam dehinc potestatem habeant obtinendi tradendi commutandi precariandi vel quicquid illis ad usum aecclesiae et ad stipendum fratrum placuerit exinde faciendi. Et ut haec nostrae concessionis, confirmationis, traditionis imperialis auctoritas stabilis et inconvulta per succendentium temporum momenta permaneat, hanc cartam inde conscriptam manu propria, ut infra videtur, corroborantes sigilli nostri impressione iussimus insigniri. Signum domni Heinrici terci regis invictissimi secundi Romanorum imperatoris augusti. Winidherius cancellarius vice Liutpaldi archicancellarii recognovi. Data II. kal. mai. anno dominicae incarnationis MLIII, inductione VI, anno autem domni Heinrici tercii regis imperatoris autem secundi ordinationis eius XXV, regni quidem XIII, imperii vero VII; actum Wihe; in dei nomine feliciter amen.